

De hominum appellationibus in ciceronis epistulis ad atticum

Autor(en): **Tárrega Garrido, Jorge**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum : schweizerische Zeitschrift für klassische Altertumswissenschaft = Revue suisse pour l'étude de l'antiquité classique = Rivista svizzera di filologia classica**

Band (Jahr): **71 (2014)**

Heft 1

PDF erstellt am: **10.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-389737>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

DE HOMINVM APPELLATIONIBVS IN CICERONIS *EPISTVLIS AD ATTICVM*

Jorge Tárrega Garrido, Valencia

Summarium: Hac in symbola inspiciuntur appellationes quibus Cicero in litteris Attico missis usus est ad multos illius temporis homines significandos. Nomina enim usitata et omnibus nota Cicero saepe mutabat atque aliter appellabat aequales. Quae exstent illae in *Epistulis ad Atticum* appellationes, quos homines reuera Cicero significauerit, quosque fines persequi uideretur, hic quaerimus. Postquam igitur omnes ostenduntur singillatim et explanantur, denique in indicem una referuntur.

Nominatim etsi saepe Cicero multis de hominibus loquebatur in epistulis suis ipsa praenomina, nomina uel cognomina eorum usurpans, tamen interdum reperiuntur multae appellationes, locutiones, *periphrasis* ad aequales significandos, nomine ipso plerumque omisso. Agitur de cognomentis¹ uera nomina supplementibus, quae cognomenta linguis hodiernis notantur uocabulis «Spitzname» (Germ.), «nickname» (Angl.), «mote, apodo» (Hisp.) uel «surnom, sobriquet» (Gall.). Non est exiguus numerus earum appellationum in litteris Ciceronianis, immo frequens et assiduus, nam placebat Ciceroni sales epistulis aspergere, ludere et iocari ueluti in orationibus, res graues exornare uenustate et lepore. Neque tantum, si bene perpendimus, inueniuntur in illis epistulis facetiae ac nugae inanes: latet profecto sub iocis aliquando consilium saepe usurpatum alios uituperandi et obiurgandi. Neque patent semper appellationes, neque res ipsa declarat quem hominem Cicero subtiliter reuocauerit. Multae contra inferuntur, quae possint nobis patefacere Ciceronis rationes homines aliter nominandi ac exspectabamus. Quare animum induximus, ut appellationes colligeremus, quidque illustrarent, singillatim peruestigaremus. Nobis autem, praetermissis impresentiarum ceteris operibus, melius uisum est aggredi epistulas coniunctissimo amico suo et sodali, Attico, ab anno 68 ad annum 44 aCn redditas, numero ad 426, cum sint magna necessitudine ac familiaritate exaratae, maxima licentia et fidelitate². In quibus tanta exstat uarietas appellationum et rationum, ut nobis ualeat praebere perspicuum documentum omnium Ciceronis litterarum.

- 1 Vocem *cognomentum* legimus e.g. apud Cic. *Fin.* II 15; Sall. apud Gell. XVIII 4,4; Tac. *Ann.* II 60.
- 2 Omnes igitur qui exhibentur loci porro attingent, nisi contra, litteras a Cicerone ad Atticum redditas. Quod ad editionem refert, duo uolumina sequimur a Shackleton Bailey anno 1987 instructa, quae totius corporis litterarum Ciceronis – numero ad 931 – fere dimidium complectuntur.

1. De grege Clodiano

Inter homines saeculi primi aCn satis constat fuisse singularis indolis Publium Clodium Pulchrum, uirum nobilis originis qui tribunatum plebis petiuit, Ciceroni fuit diu inimicus, a Milone tandem necatus est. Saepe mentio fit de illo in epistulis Ciceronis, idque non familiariter. Eminent illi loci in quibus Cicero etiam atque etiam attingebat facinus illud indignum Romae commissum mense Decembri anni 62, quo tempore Iulius Caesar munere Pontificis Maximi fungebatur. Hoc legimus primo in epistula quam Cicero ad Atticum scripsit mense post euentum:

P. Clodium, Appi f., credo te audisse cum ueste muliebri deprehensum domi C. Caesaris, cum pro populo fieret, eumque per manus seruulae seruatum et eductum; rem esse insigni infamia. Quod te moleste ferre certo scio (I 12, 3)

Clodius enim, amore in Caesaris uxorem fortasse captus, ingressus erat sacra Bonae Deae muliebri uestitu indutus. Quod nefas decretum est a Senatu. Caesar uxorem paulo post repudiavit, quae quidem sacris tunc praeesset³. Res habitae sunt maximae grauitatis a Cicerone, qui posthac multis in litteris irrisit Clodium uehementer atque cognomenta excogitauit ad hoc factum spectantia: *«pulchellus puer»* (I 16, 10), *«pulchellus»* (II 1, 4; II 18, 3), *«pulchellus noster»* (II 22, 1), *«iste sacerdos Bonae Deae»* (II 4,2). Huc adde cognomentum *«illam populi Appuleiam»* (IV 11, 2), nam fuit temporibus Marii quidam Lucius Appuleius Saturninus, homo seditiosus notissimus. Itaque Cicero sic scripsit, ut Clodius secundus Appuleius, nunc tamquam femina, haberetur. Quibus locutionibus a suffixis femininis siue diminutiuis productis haud raro Cicero utebatur, immo saepe numero et ad ludibrium et ad dignitatem detrahendam. Sic cum in sermonem incidit de Gaio Scribonio Curione minore – Curionis maioris, consulis anno 76 filio – eum nuncupat *«filiolam Curionis»* (I 14, 5), simul atque *«matrimonium libidinosum memorat quod cum Marco Antonio quondam Curio minor simulauerit»*⁴. Concursabant tunc temporis Romae multae operae, *«totus ille grex Catilinae»*, ut scribit ibidem Cicero, in quibus uersabatur Curio adulescens. Cicero autem, non solum in orationibus publicis, sed etiam in litteris priuatis, innitebatur ut ini-

3 Cf. Plutarchum, *Caes.* 10: ὁ δὲ Καίσαρ ἀπεπέμψατο μὲν εὐθὺς τὴν Πομπηΐαν, μάρτυς δὲ πρὸς τὴν δίκην κληθεὶς, οὐδὲν ἔφη τῶν λεγομένων κατὰ τοῦ Κλωδίου γινώσκειν. ὡς δὲ τοῦ λόγου παραδόξου φανέντος ὁ κατήγορος ἠρώτησε «πῶς οὖν ἀπεπέμψω τὴν γυναῖκα;» «ὅτι» ἔφη «τὴν ἐμὴν ἠξίου μὴδ' ὑπονοηθῆναι».

4 Quod ipse Cicero memorat in *Phil.* 2, 18, 44–45: *Sumpsisti uirilem, quam statim muliebre togam reddidisti. Primo uulgare scortum, certa flagitii merces, nec ea parua; sed cito Curio interuenit, qui te a meretricio quaestu abduxit et, tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo collocauit. Nemo unquam puer emptus libidinis causa tam fuit in domini potestate quam tu in Curionis.* Cf. etiam Vell. Pat. II 48, 3: *C. Curio tribunus plebis... suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus.*

mici eadem redolerent: ignominiam, dedecus, impudicitiam⁵. Eadem uitia, quasi hereditate relicta, in aduersariis exprobrabat, nam, Catilina mortuo, res suscepisse accusabatur Clodius, uim Romae attulisse et discordias concitauisse maximas, quamobrem talem gregem saepe Cicero contemnebat. Imago scelerata non solum iterabatur, sit mihi uenia uerbo, διαχρονικῶς (e.g. Appuleius > Catilina > Clodius), sed etiam συγχρονικῶς in caterua sodalium. In *Epistulis ad Atticum* quidem uidemus Lucium Gaium <P. Clodi canem> dici, etiam <hunc nebulo-nem> (VI 3, 7; sic Clodius ipse in II 9, 1: <nebulo iste>); uel Sextum Clodium, qui secundum locum obtinebat in factione Clodii Pulchri, a Cicerone uocari <signiferum Athenionem> (II 12, 2), nam fuit Athenio dux seruorum Secundo Bello Seruili in Sicilia, annis 104–100 aCn habito. Atque reuera omnia congruunt: semel ac saepius Cicero operam dabat ut adscriberentur gregibus inimicis serui, a quibus illo saeculo toties Res Publica in discrimen adducta erat. Cum primum certior factus est de scelere ad Bonam Deam, nouissima Attico narrauit illustrans Clodium, ut diximus, commodum a seruula seruatum et eductum⁶. Non temere uidetur Cicero submissa uoce iacere «et quod erat demonstrandum» ...

Altera ex parte Clodio erat soror, Clodia Quadrantaria, quam hodie fere omnes Lesbiam illam Catulli esse autumant. Matrimonium cum Quinto Caecilio Metello Celeri eam non praepediuit quominus amicitiam coniunctissimam coleret cum Catullo, immo etiam cum fratre ipso usu uteretur maiore quam deceret. Quae omnia inuicem conturbauerat ipse Catullus uersibus carminis LXXIX: *Lesbius est pulcer. Quidni? Quem Lesbia malit quam te cum tota gente, Catulle, tua*. Non est igitur mirandum Ciceronem, cum de Clodia loqueretur, usurpauisse cognomentum Graecum <Βοῶπις> (II 9, 1; II 12, 2; II 14, 1; II 22, 5; II 23, 3), scilicet <boariis oculis>, quod cognomentum nonnunquam apud Homerum Iuno accipiebat. Sunt qui dicant Clodiam his uerbis descriptam esse ob oculos suos lucentes, at nos plerisque adsentimur Ciceronem hac appellatione usum esse ad uincula indigna inter Clodiam et Clodium fratrem significanda. Iuppiter enim ipsam sororem suam Iunonem in matrimonium duxerat⁷. Nihil est dubii, quin hisce criminationibus multo grauius laederet Clodium.

- 5 Pina Polo (1991, 144–150) longum indicem praebet multarum uocum uel locutionum quibus utens Cicero aspere habebat Clodium despiciatui itemque omnes suos inimicos. Satis sit dumtaxat referre nonnullas uoces: *adulter, amens, effeminatus, facinerosus, furibundus, impius, improbus, latro, labes, pestis, scortum, cet.*
- 6 Attamen Plutarchus pro seruula potius Caesaris matrem Clodium domo eiecisse scripserat. Cf. Gonfroy 1978, 224; Pina Polo 1991, 140.
- 7 Cf. e.g. Rodríguez-Pantoja (1996 I, 135), qui utramque coniecturam ostendit in animaduersione. Praebentur exempla Ciceronis, in quibus Clodiae oculi excellere dicuntur ob flagrantiam et magnitudinem: *ne id quidem sentis, coniuuentis illos oculos abauit tui magis optandos fuisse quam hos flagrantis sororis? (Har. resp. 38); si quae non nupta mulier [...] denique ita sese gerat non incessu solum, sed ornatu atque comitatu, non flagrantia oculorum, non libertate sermonum, sed etiam complexu, osculatione, actis, nauigatione, conuiuuiis, ut non solum meretrix, sed etiam proterua meretrix procaxque uideatur...* (Pro Cael. 49).

2. *De uiris illustribus*

Etiam fit mentio in epistulis Ciceronianis de senatoribus et hominibus qui praeter res in foro agendas se dabant oblectamentis otiosi. Qui optimates appellantur *«piscinarii»*: *hos «piscinarios» dico amicos tuos* (I 19, 6), *«piscinariū nostri»* (I 0, 3), *«de istis piscinarum Tritonibus»* (II 9, 1), nam magnis uiuariis fruebantur in quibus pisces adeo curabant, ut Cicero eos amplius aspernaretur: *qui ita sunt stulti, ut amissa re publica piscinas suas fore saluas sperare uideantur* (I 18, 6). Moleste enim ferebat fuisse qui tempus frustra contererent, cum ipse in officio rei publicae custodiendae atque seruandae semper maneret. Erat, ut suadet Cicero, senatui Romano quid imitandum, quid aemulandum, scilicet Graecus Ἄρειος πάγος, quem ualde laudauit Cicero alibi⁸ cuiusque exemplo quondam ornauit senatum Romanum: *Senatus Ἄρειος πάγος, nihil constantius, nihil seuerius, nihil fortius* (I 14, 5). At non defuerunt causae in quibus Cicero senatores appellauit *«praeclaros Ariopagitas»* (I 16, 5) uel *«τρισαρεοπαγίτας»*: *ex quo intellectum est «τρισαρεοπαγίτας» ambitum, comitia, interregnum, maiestatem, totam denique rem publicam flocci non facere* (IV 15, 4). Animo fatigatus et aliquatenus spe destitutus, Cicero ironia, ut saepe fiebat, utebatur, dum cum Attico per epistulas sermocinatur: decernebant senatores contra eius opinionem neque officia sua decorose, si Ciceroni credimus, soluebant. Quare «triplici» neglegentia – inde *«τρισαρεοπαγίτας»*, in quo suffixum τρις uim amplificat, ut in uocabulis Graecis τρισάθλιφ uel τρισανθρώπφ –, senatus Romanus deficiebat, cum causa ageretur simul de tribus uiris, sc. Sufena, Gaio Porcio Catone et Procilio.

Neque uero possumus praetermittere appellationes a Cicerone adhibitas, quae ad illos notissimos uiros illius aetatis, nempe Caesarem et Pompeium, attinent. Primus solet appellari *«Caesar»*, pronomina uero interdum usurpantur sicut *«ille»* (IV 5, 2; VII 3, 11; XI 15, 1; XI 25, 2) uel *«iste»* (VII 22), uel etiam *«rex»* dicitur (XIII 37, 2; XIV 11, 1). Quem honorem eo magis auget Cicero, ironia confertissimus, nedum aberratione ab omni modo obrutus, cum tamquam deus Caesar haberetur: *tu [Attice] «hunc de pompa, Quirini contubernalem», his nostris moderatis epistulis laetaturum putas?* (XIII 28, 3). Sunt Caesari, Suetonio teste (Iul. 76, 1), multi honores tributi et uarii, ut puta *tensa et ferculum circensi pompa, templa, arae, simulacra iuxta deos*. Huc tandem adde locum in quo uox *«Pisistratus»* consecratur Caesari (VIII 16, 2), quippe qui tyrannus a Cicerone aestimaretur. Nihilominus erat discrimen inter Pisistratum et Phalarim (VII 12, 2; VII 20, 2): hic crudelis tyrannus habebatur, ille autem moderatus.

Nunc transeamus ad Pompeium, qui multis modis praeter *«Pompeium»* inducitur, uidelicet *«noster amicus magnus»* (II 13, 2), *«Gnaeus»* (II 16, 2; IX 6, 6; VII 10), *«ille noster amicus»* (II 21, 3), *«Gnaeus noster»* (VII 1, 4; VII 21), cet. Sed praesertim excellent appellationes anno 59 ineunte usurpatae, quae sunt:

8 Cf. e.g. Cic. *Off.* I 22, 75.

- 1) *«Epicrates»* (II 3, 1): illustratur tali nomine Pompeius, qui piratas anno 67 de- uicerat eadem gloria atque Epicrates ille Secundo Bello Macedonico.
- 2) *«Hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem»* (II 9, 1): Cicero animum aduertit ad res a Pompeio gestas Hierosolymis, urbe Iudaeorum anno 63 aCn bello subacta. Itemque delabitur cognomentum *«traductor ad plebem»* quoniam Pompeius est anno 59 opitulatus Clodio, ut ad plebem transiret. Qui nomen *Claudium* in *Clodium* mutauerat et tribunus plebis electus erat.
- 3) *«Ille noster Sampsiceramus»* (II 14, 1; II 16, 2; II 17bis; II 23, 2bis): Sampsicera- mus fuit rex Emesae in Syria saeculo I aCn. Anno ferme 64 Pompeius in illam regionem ingressus est, quam in prouinciae formam redegit.
- 4) *«Arabarches»* (II 17, 3): erant *«Ἀραβάρχαι»* in Aegypto, ut constat, magistratus (*ἐπιστράτηγοι*) qui uectigalibus praeerant. Hic adscribitur titulus Pompeio for- tasse quod uectigalia Romae auxerit⁹.

Plerisque in exemplis quamquam leuem uituperationem Pompei suspicamus, praestat, ut nostra fert opinio, Ciceronis studium sales aspergendi. Tantum est, si in memoriam reuocamus simultates inter Clodium et Ciceronem susceptas, asperitas quaedam agnoscenda ad locutionem *«traductorem ad plebem»*. Quem transitum Cicero molestissime tulit.

3. De Marco Antonio et Cleopatra

Etiam inter homines late notos in epistulis significatos numerantur triumuir Marcus Antonius et regina Aegypti Cleopatra. Ne semel quidem, prout scimus, usurpat Cicero nomen *«Cleopatra»* in suis litteris, quin immo eam tantum *«regi- nam»* appellat (XIV 8, 1; XIV 20, 2; XV 1, 5; XV 4, 4; XV 15, 2bis; XV 17, 2). De Marco Antonio, odium manifestum est et apud omnes peruulgatum, quo Cicero in eum flagrabat, ut patet e.g. in *Philippicis*. Paulo aliter ac expectabamus¹⁰ tantum inueniuntur apud *Epistolas ad Atticum* duo loci in quibus Cicero loquitur de triumuiro cognomentis fretus, scilicet *«noster Cytherius»* (XV 22) et *«Stratyllax ille»* (XVI 15, 3). Primum *«Cytherium»* Antonium appellat, quod animo repetit Volumniam illam, nomine mimico *«Cythera»* notam, quam ualde amabat secumque portabat, teste Cicerone (X 10, 5), lectica aperta alterius uxoris instar. Per nomen *«Cytherius»* igitur cauillatur Cicero Antonium dupli- ci ironia. Congruit profecto nomen Veneris, etiam *«Cytherae»* nuncupatae, luxuriae, libidinis, uoluptatum deae, cum moribus a quibus nunquam recessit Antonius. Neminem latebat Antonium fuisse hominem licentia praeditum,

9 Cf. Georges ad uocem *Arabarches*: «der oberste Magistrat für die östl. (nach Arabien zu gele- gene) Nilseite, wahrsch. eine Art Oberzollbeamter, der Arabarch, Iuven. 1, 130 u. dazu Hein- rich. – Sarkastisch von Pompejus, der sich rühmte, die Zölle sehr vermehrt zu haben».

10 Vltima epistula nobis tradita, est mense Nouembri anni 44 exarata. Licet autem coniectura consequi Ciceronem similia uel ferociora cognomenta anno 43 scripsisse de homine qui eum tandem interfici iussit.

impudicitia, dedecore¹¹. Quod ad *Stratyllicem illum* attinet, uidetur hoc esse nomen militis gloriosi ex genere comoediae antiquae deprompti¹². Quibus appellationibus eandem rationem suscipiebat cum ceteris inimicis usitatam, et ipso cum Antonio in orationibus.

4. De se ipso et propinquis

Maxima ironia uel facetiis semper imbutus, Cicero utitur, tempore oblato, cognomentis uel locutionibus tum ironicis tum benignis de se ipso et propinquis suis. Itaque locos inuenimus in quibus se ipse uocat *cynicum consularem* (II 9, 1), quae figura forsitan repetiuerit calumniam a Clodio allatam, uel adhibet in usum locutionem, nedum aenigma difficile enodatu, *patruum sororis tuae filii* (VI 8, 3), nam Pomponia, soror Attici aetate prouecta, erat matrimonio iuncta Quinto, fratri Ciceronis nostri. Ex quo colligitur Ciceronem ipsum fuisse patruum illum Pomponiae filii, scilicet Quinti Tullii Ciceronis. Propter quem est diu Cicero excruciatu, eum puerum laudans, dein adultum factum aegerrime despiciens¹³. Primis igitur temporibus, cum Quintus minor etiam teneriorem aetatem ageret, dicebatur *puer optimus* (IV 7, 1) uel *Cicero suauissimus* (IV 9, 2). Sed, quod nostra magis interest, Cicero praenomen eius quondam omittebat. Cum primum necessitudinem pristinam exstinxerunt, Cicero seueris appellationibus usus est sicut *impurus noster cognatus* (XII 38, 2) uel tantum *cognatus tuus* (XIII 27, 1), in qua locutione inest quidem ironia, nam hodie ipsum multis in linguis pronominis possessiui primae personae loco – i.e. *filius noster* – adhibemus pronomen possessiuum secundae personae – i.e. *filius tuus* –, tamquam a nobis procul abesset propinquus atque aliquatenus abhorret. Plerumque, etsi non semper, nihil boni praedicat modus, ut paulo inferius patet in epistula XII 38, 2:

Asinius Pollio ad me scripsit de impuro nostro cognato. quod Balbus minor nuper satis plane, Dolabella obscure, hic apertissime. ferrem grauius si nouae aegrimoniae locus esset. sed tamen ecquid impurius? O hominem cauendum! quamquam mihi quidem – sed tenendus dolor est

Ceterum filia Ciceronis suauissime appellatur *pusilla* (IV 15, 4), quamquam iam 25 annos nata; atque scriba Tiro diligentia comparatur scribae Attici, nomine Alexis: *meus Alexis* (V 20, 9). Deinde autem ipse Alexis appellatur

11 Vti refertur apud López (2009, 426–427), Cicero conabatur Antonium contemnere, cum mimam – i.e. Volumniam – tamquam meretricem significaret. Quod forsitan ostendat mores Antoni eo deprauatiores.

12 Cf. Rodríguez-Pantoja 1996 I, 452; Beaujeu 1991, 103; Bailey 1999, 371; Walsh 2008, 345.

13 De Quinto minore Cicero summis sollicitationibus angebatur curae susceptae causa (VI 2, 2; 3, 8; X 4, 5; 6, 2; 15, 4; XI 10, 1; XIII 37, 2). Annis progredientibus, litterarum in quibus uehementissime filium contemnebat aliquando eum paenituit (X 12, 3); omnia demum humaniter remisit (XVI 5, 2).

«*imago Tironis*» (XII 10). Et filia et libertus ipsius et libertus Attici magni aestimantur et dulcibus appellationibus inducuntur.

5. De Graecis cognomentis

Cum lingua Graeca saepe spargatur in epistulis Ciceronis, tum etiam non desunt loci in quibus confitetur se *illud* μυστικώτερον *scribere* (VI 4, 3) uel *Graece* ἐν αἰνιγμοῖς (VI 7). Vt superius iam monstrauius, Clodiam «*Boopin*» esse nuncupatam, ita reperiuntur plura cognomenta Graece conscripta, ut puta:

- a) «Τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος» (VI 4, 3) ac «τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς οὐξελεύθερος» (VI 5) inuoluit Philotimum, Terentiae uxoris libertum. Est tantum interpretatio e Latino sermone in Graecum – «uxoris meae libertus» –, quo difficiliter intellegatur nisi ab Attico. Etiam nuncupatur Philotimus «*merus* φυρατής (sc. decoctor), *germanus Lartidius*» (VII 1, 9), nam Cicero, penitus de eo diffidens ob curam nummorum, eum comparat Vlixī, filio Laertae, rerum furtiuarum sollertissimo. Itidem ludit Cicero cum lingua Latina ad describendum Philotimum, maxima denuo ironia et hilaritate adhibita: *solet* [sc. Philotimus] *omnino esse* «*Fauoniaster*» (XII 44, 3). Philotimus enim in dies similior fiebat Fauonio illi, singulari uiro, Catonis minoris indefesso fautori atque imitatori, «un «enragé» de la cause sénatoriale»¹⁴.
- b) «Ὁ Κροτωνίατος τυραννοκτόνος» (VI 4, 3; VI 5) subtiliter tegit Milonem illum, qui Clodium necauerat. Inde «τυραννοκτόνος». «Κροτωνίατος» mutuatur iocose a pugile Milone Crotonensi, qui saeculo VI aCn uixit atque numeratur inter notissimos athletas Graecos Antiquitatis.
- c) «Πεντέλοιπος» (XIV 21, 4; XV 2, 4): «reliquus ex quinque» nominatur Aulus Hirtius, consul anno 43. Forsitan gregem significet a quinque uiris compositum: Balbo, Pansa, Octauio, Philippo et Hirtio ipso, qui ultimus perseuerauit e quinque¹⁵. Sunt contra qui legant «Πεντέλαιμον», i.e. «quinque faucibus», quod nomen eius edacitatem monstrare possit¹⁶. Quae cum ita sint, plura, proh dolor, conici nequeunt, at appellatio quaecumque est, uidetur usurpari ad risum mouendum. Alio in loco indicatur Hirtius tantum sub «*meo discipulo*» (XIV 22, 1), cum Cicero eum docuerit Rhetoricam.
- d) «*Tyrannio*» (XII 6, 2; XII 2, 2) appellabatur – quamquam iam a pueritia excogitauerat nomen eius magister Hestiaeus ob insolentiam erga condis-

14 Cf. Beaujeu 1983, 78. Etsi manuscripta «*fuluiniaster*» praebebant multaque sunt hucusque proposita, plerisque probatur «l'ingénueuse correction» (sic apud Beaujeu 1983, 78) a Shackleton Bailey coniecta, scilicet «*Fauoniaster*» (cuius exemplum suppeditat Quintilianus, *Inst. or.* VIII 3, 22: «*Antoniaster*»). Etiam Quintus minor, de quo supra diximus, appellatur «*Fauonius*» (XV 29, 2).

15 Cf. How 1962, 492: «The form is a barbarism, but there had been a little party of five near Cumae [...] and Hirtius may well have been the only one left on May 11. Probably there is some joke, but without a key it is unsolvable».

16 Cf. XII 2, 2: *ibi Hirtius et isti omnes. Et quidem ludi dies VIII. Quae cenae, quae deliciae!* etiam *Fam.* IX 20, 2. Lege sis amplius apud Beaujeu 1988, 227; Rodríguez-Pantoja 1996 II, 355–356.

cipulos¹⁷ – Theophrastus Amisenus ex Ponto, qui tunc temporis erudiebat nepotem Ciceronis¹⁸.

6. Ceterae appellationes

Praeter exempla supra exposita assignantur in litteris Ciceronis saepenumero cognomenta facetiarum causa multis hominibus Romanis tunc temporis. Liceat tandem pauca eorum ostendere, quae pro certo habemus ad quem attribuantur¹⁹:

- a) *Paris*, *Menelaus* et *Agamemnon* (I 18, 3): depingit hoc loco Cicero imaginem iucundissimam bellum Troianum reuocantem. Gaius Memmius, praetor anno 58, ad se allexit M. Luculli uxorem. Accedit huc quod Memmius, paulo maiora appetens, illexit uxorem L. Luculli Seruiliam²⁰. Auctore Cicerone: *nam M. Luculli uxorem Memmius suis sacris initiauit; Menelaus* [i.e. M. Lucullus] *aegre id passus diuortium fecit. Quamquam ille pastor Idaeus* [i.e. Paris = Memmius] *Menelaum solum contempserat, hic noster Paris* [i.e. Memmius] *tam Menelaum quam Agamemnonem* [i.e. L. Lucullum] *liberum non putauit*. Denuo iocatur Cicero cupidine dedecoreque aliorum, nunc fabulam illam notam belli Troiani inducens.
- b) *Epulo* (II 7, 3): designatur hoc cognomento Publius Vatinius, quippe qui *in epulo Q. Arri, familiaris Ciceronis, cum toga pulla accumberet* (Cic. *Vat.* 30), quod nullo modo decebat nisi albatum. Irridet eum profecto Cicero, sed mediocris asperitatis esse arbitramur cognomentum, si id conferimus ubertate iniuriarum a Cicerone in oratione *In Vatinium* prolatarum.
- c) *Rufio* et *Rufio Vestorianus* (V 2, 2; XIV 14, 2): per suffixum *-io* facete appellatur Gaius Sempronius Rufus. Paulo post additur huic cognomento *Vestorianus*, quod Rufus accipit a quodam Vestorio, faeneratore Puteolano a quo Rufus aere alieno obstringebatur.
- d) *Caluus*: Caluo cognomine excepto, Cicero utitur hoc adiectiuo ad binos uiros nominandos. Primum uidemus *Caluum ex Nanneianis illum, illum laudatorem meum* (I 16, 5). Quamquam iterum disputatur lectio in manuscriptis extans²¹, hic agitur de triumuiro Marco Licinio Crasso, qui emit agros Nanneianorum,

17 Cf. Sudam ad *Tyrannionem*: μαθητής ἄλλων τε καὶ Ἑστυαίου τοῦ Ἀμισηνοῦ, ὕφ' οὗ καὶ Τυραννίων ὀνομάσθη, ὡς κατατρέχων τῶν ὁμοσχόλων, πρότερον καλούμενος Θεόφραστος.

18 Cf. Cic. *Quint.* II 4, 2.

19 Propter exilitatem certorum uestigiorum et inopiam adnotationum non licet, rebus sic stantibus, quaedam cognomenta adscribere. Vide e.g. *Teucrin illum* (I 12, 1; I 13, 6; I 14, 7), quae Corneliam, Publi Sesti uxorem possit significare; *illum emptum pacificatorem* (X 1,2) et *istum nummarius* (X 1, 3), L. Volcacium Tullum fortasse inuoluens (Rodríguez-Pantoja 1996 II, 87); uel *Ligurinum Mόμω* (V 20, 6), qui partes gerat (cf. Rodríguez-Pantoja 1996 I, 299) cuiusdam Aelii Liguris. Lis adhuc sub iudice, ut ita dicamus, relicta est.

20 Cf. Rodríguez-Pantoja 1996 I, 96. Ceterum Seruilia appellatur a Cicerone *tua familiaris* (XV 11, 2), nam erat Attico amicitia coniuncta (cf. *Nep. Att.* 11, 4).

21 Sunt qui hic legant *callidum illum*, *Naeuianis*, *ἐξοπινωαίων*, cet. (cf. How 1962, 80).

a Sulla olim proscriptorum, qua de causa rem ualde auxit suam. Ceterum mentio fit saepius de alio *caluo*, nunc autem de Gaio Matio, qui appellatur *Caluenna* (XIV 5, 1; XIV 9, 3; XVI 11, 1), immo etiam Graece *μαδαρός*²² (XIV 2, 2) uel *φάλακρωμα* (XIV 2, 3), omnia quae cognomenta huius caput salse describunt.

- e) *Tartessium istum tuum* (VII 3, 11) appellat Lucium Cornelium Balbum maiorem, quippe qui Gadibus oriundus esset, ideoque Hispanus. Praeter cognomen tum ad regionem Hispanicam spectans, magnam uim hic habet despiciendi usus demonstratiui pronominis²³. Porro Cicero rursus exprimit nomen uerbatim in Graecum sermonem, nunc cognomen *Balbum* in *atypum* (XII 3, 2), ad merum ludum excitandum. Altera ex parte fit mentio de Lucio Cornelio Balbo minore, qui per suffixa, ut haud raro fit, appellatur: *Balbinus* (XIII 21, 3), *Balbillus* (XV 13, 4).

7. Epilogus et index appellationum

Multae diuersaeque coniunguntur appellationes in epistulis ad Atticum redditis, et frequenter uidimus Ciceronem etiam eandem epistulam conspersisse non paucis cognomentis (I 16; II 9, 1; VII 1) uel degisse tempora ingenii plenissima in quibus plura cognomenta usurpabat quam alias, uidelicet annum 59, in libro II comprehensum, et annum 44 in libris XIV–XV–XVI. Quod maxime quadrat, nam fuerunt tempora Ciceroni dubia, cum primum impendebat exilium, iterum Res Publica erat in discrimine post Caesaris obitum. Inde igitur factum est, ut cognomenta abundarent, cum Cicero perciperet se periclitari et in periculo quodam uersari.

Ceterum inhaeret quibusdam appellationibus difficultas interpretationis, nam caremus indiciis quae nobis extricent quondam reconditum significatum. Inopia cogimur iis contenti esse, quae traduntur. Sed praesertim sunt magnopere desideranda quae fuerint Attici responsa, quibus uerbis rescripserit, quatenus sit captus facetiis uel uituperationibus Ciceronis. Non est recusandum multa cognomenta in mentem Ciceronis uenisse ex Attici commentariis; uel etiam nonnullas appellationes, quidni, ipsum Atticum excogitauisse, ut conficitur e XV 29, 2: *Quintus filius ... (mirus ciuis, ut tu Fauonium ***), dicas*. Haec uero, cum partem tantum operum Ciceronis in promptu habeamus, comperiri nequeunt.

Vt ut est, Cicero, quamquam epistularum genus et orationum est omnino diuersum, etiam in scriptis priuatis usus est similibus rationibus appellandi inimicos. Cognomentorum usus potius recidit ad modum operandi et exemplum assiduum, quo impetrare uolebat, praeter risum – aliquando, ut uerum confitemur, deliratio rerum statim praebat Ciceroni nomen –, obtrectionem et

22 Vtrum Graece an Latine sit conscriptum (*Madarus*), dubitatur. Vt cumque, Cicero ipse paulo post confitetur se «obscure fortasse» modo scripsisse. Quod ultro facere conatur, ut supra diximus.

23 Vt multis in exemplis ostenditur, demonstratiua pronomina – praesertim *iste, ille* – plurimum conferunt ad homines minoris existimandos.

diminutionem hominum quorundam²⁴. Altera ex parte Cicero in animo habebat litteras suas colligere et correctas olim edere – sic legimus in XVI 5, 5²⁵ –, ergo probe sciebat cognomenta sua seruatim et traditum iri, neque timebat ne, quibusdam omissis²⁶, pleraque in lucem darentur. Sed haec quaestio uexatissima scopum nostrum longissime excedit – paulo minora canimus – quem nobis ab initio huius operis praestitimus. Satis fuerit hactenus exposuisse appellationes ex *Epistulis ad Atticum* excerptas et, prout res postulat, earum interpretationem proposuisse. Denique, ut finem faciamus, liceat omnia cognomenta in indicem simul redigere quae adscribi possunt, et singillatim enumerare.

Verum nomen	Appellatio, locutio
Alexis Attici scriba	⟨ <i>Imaginem Tironis</i> ⟩ (XII 10)
Titus ANNIUS Milo	⟨Τοῦ Κροτωνιάτου τυραννοκτόνου⟩ (VI 4, 3; VI 5)
Marcus ANTONIUS	⟨ <i>Noster Cytherius</i> ⟩ (XV 22), ⟨ <i>Stratyllax ille</i> ⟩ (XVI 15, 3)
Cleopatra	⟨ <i>Regina</i> ⟩ (XIV 8, 1; XIV 20, 2; XV 1, 5; XV 4, 4; XV 15, 2bis; XV 17, 2)
Lucius CORNELIUS Balbus maior	⟨ <i>Tartessium istum tuum</i> ⟩ (VII 3, 11), ⟨ <i>Atypo</i> ⟩ (XII 3, 2)
Lucius CORNELIUS Balbus minor	⟨ <i>Balbino</i> ⟩ (XIII 21, 3), ⟨ <i>Balbillum</i> ⟩ (XV 13, 4)
Clodia	⟨Βοῶπις⟩ (II 9, 1; II 12, 2; II 14, 1; II 22, 5; II 23, 3)
Publius CLODIUS Pulcher	⟨ <i>Pulchellus puer</i> ⟩ (I 16, 10), ⟨ <i>pulchelli</i> ⟩ (II 1, 4; II 18, 3), ⟨ <i>pulchellum nostrum</i> ⟩ (II 22, 1), ⟨ <i>iste sacerdos Bonae Deae</i> ⟩ (II 4, 2), ⟨ <i>nebulo iste</i> ⟩ (II 9, 1), ⟨ <i>illa populi Appuleia</i> ⟩ (IV 11, 2)
Sextus CLODIUS	⟨ <i>Signifero Athenione</i> ⟩ (II 12, 2)
Lucius GAVIUS	⟨ <i>P. Clodi canis</i> ⟩ (VI 3, 6), ⟨ <i>huius nebulonis</i> ⟩ (VI 3, 7)
Aulus HIRTIVS	⟨Πεντέλοιπον⟩ uel ⟨Πεντέλαμιον⟩ (XIV 21, 4; XV 2, 4), ⟨ <i>meus discipulus</i> ⟩ (XIV 22, 1)

24 Excipiuntur nimirum appellationes beneuolentiae causa prolatae, de filia scilicet uel de liberto suo.

25 Scilicet: *mearum epistularum nulla est συναγωγή; sed habet Tiro instar septuaginta, et quidem sunt a te quaedam sumendae. eas ego oportet perspiciam, corrigam; tum denique edentur.* Cf. de edendi quaestione e.g. Carcopino 1947, I 14–55; Narducci 2005, 210.

26 Vt supra uidimus (animad. 14), aliquando Atticum obsecrauit, ut litteras quasdam obiurgatorias deleret (X 12, 3).

Gaius IVLIVS Caesar	« <i>Ille</i> » (IV 5, 2; VII 3,11; XI 15, 1; XI 25, 2), « <i>isti</i> » (VII 22, 1), « <i>rex</i> » (XIII 37, 2; XIV 11, 1), « <i>hunc de pompa, Quirini contubernalem</i> » (XIII 28, 3), « <i>Pisistratus</i> » (VIII 16, 2)
Marcus LICINIVS Crassus triumvir	« <i>Caluum ex Nanneianis illum, illum laudatorem meum</i> » (I 16, 5)
Lucius LICINIVS Lucullus	« <i>Agamemnonem</i> » (I 18, 3)
Marcus LICINIVS Lucullus	« <i>Menelaus</i> » (I 18, 3)
Gaius MATIVS	« <i>Caluenna</i> » (XIV 5, 1; XIV 9, 3; XVI 11, 1), « <i>μαδαρός</i> » (XIV 2, 2), « <i>φάλακρωμα</i> » (XIV 2, 3)
Gaius MEMMIVS	« <i>Hic noster Paris</i> », « <i>ille pastor Idaeus</i> » (I 18, 3)
PHILOTIMVS, Terentiae libertus	« <i>τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος</i> » (VI 4, 3), « <i>τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς οὐξελεύθερος</i> » (VI 5), « <i>merus φυρατῆς, germanus Lartidius</i> » (VII 1, 9), « <i>Fauoniaster</i> » (XII 44, 3)
Optimates	« <i>Hos piscinarios amicos tuos</i> » (I 19, 6), « <i>piscinarii nostri</i> » (I 20, 3), « <i>istis piscinarum Tritonibus</i> » (II 9, 1)
Gnaeus POMPEIVS Magnus	« <i>Epicratem</i> » (II 3, 1), « <i>hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem</i> » (II 9, 1), « <i>noster amicus magnus</i> » (II 13, 2), « <i>Gnaeus</i> » (II 16, 2; VII 10; IX 6, 6), « <i>Arabarches</i> » (II 17, 3), « <i>ille noster amicus</i> » (II 21, 3), « <i>Gnaeo nostro</i> » (VII 1, 4; VII 21)
Senatores	« <i>Praeclari Ariopagitae</i> » (I 16, 5), « <i>Τρισαρεοπαγίτας</i> » (IV 15, 4)
Gaius SCRIBONIVS Curio	« <i>Filiola Curionis</i> » (I 14, 5)
Gaius SEMPRONIVS Rufus	« <i>Rufio noster</i> » (V 2, 2), « <i>Rufio Vestorianus</i> » (XIV 14, 2)
THEOPHRASTVS Amisenus	« <i>Tyrannio</i> » (II 6, 1; IV 4a, 1; IV 8, 2; XII 2, 2; XII 6, 2)
TVLLIA filia	« <i>Pusilla</i> » (IV 15, 4)
Marcus TVLLIVS Cicero ipse	« <i>Cynico consulari</i> » (II 9, 1), « <i>patruo sororis tuae fili</i> » (VI 8, 3)
Quintus TVLLIVS Cicero nepos	« <i>Puero optimo</i> » (IV 7, 1), « <i>Ciceronem suavissimum</i> » (IV 9, 2), « <i>impuro nostro cognato</i> » (XII 38, 2), « <i>cognatum tuum</i> » (XIII 27, 1), « <i>Fauonium</i> » (XV 29,2)
Marcus TVLLIVS Tiro scriba	« <i>Meus Alexis</i> » (V 20, 9)
Publius VATINIVS	« <i>Epuloni</i> » (II 7, 3)

INDEX BIBLIOGRAPHICVS

- J. Beaujeu, *Cicéron: correspondance*, VIII (Paris 1983)
 J. Beaujeu, *Cicéron: correspondance*, IX (Paris 1988)
 J. Beaujeu, *Cicéron: correspondance*, X (Paris 1991)
 D.R. Shackleton Bailey, *M. Tullius Cicero: Epistulae ad Atticum*, I & II (Stuttgart 1987)
 D.R. Shackleton Bailey, *Onomasticon to Cicero's letters* (Stuttgart 1995)
 D.R. Shackleton Bailey, *Cicero: Letters to Atticus*, IV (London 1999)
 J. Carcopino, *Les secrets de la correspondance de Cicéron* (Paris 1947)
 F. Gonfroy, "Homosexualité et idéologie esclavagiste chez Cicéron", *DHA* 4 (1978) 219–262
 W.W. How, *Cicero: Selected letters*, II: Notes (Oxford 1962: 1926¹)
 M. López López, "El escarnio del «enemigo íntimo» a través del entorno onomástico en Cicerón", in P.P. Conde Parrado, I. Velázquez (edd.), *La Filología Latina. Mil años más*, Vol. I (Madrid 2009) 417–430
 E. Narducci, *Introduzione a Cicerone* (Bari 2005)
 F. Pina Polo, "Cicerón contra Clodio: el lenguaje de la invectiva", *Gerión* 9 (1991) 131–150
 M. Rodríguez-Pantoja Márquez, *Cicerón: cartas a Atico*, I & II (Madrid 1996)
 P.G. Walsh, *Cicero: Selected letters* (Oxford 2008).

Correspondencia:

Jorge Tárrega Garrido
 Universitat de València
 Avda. Blasco Ibáñez 32
 E-46010 València
 jorge.tarrega@uv.es